

cum fuerit de spe sua res ac
ceptum sumus mercedem de
narium. Ipa enim merces
reducitur operarius munera
laborantibus secundum eundem
gelum quod credo remissis
a. Neque enim omnia com
memoranda sunt tamquam
rudibus et imperitis. **Salo**

ne monitis et opum mi
raculis imbuebat. ut de
et unigenitus dei et filius
hominis crederetur. Nam
unum horum sine alio au
non poterat ad salutem
et equis erat. Primum co
mum. Ipsi sunt. Primum
dum tantummodo sin
Iomine. ut. **Salo**

nos

Tom. *Pruell.* 59.

~~G. 17. 2.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-42.

SIGNAT. CLDCCCXIII.

B. 17.



PROPOSITIONES
THEOLOGICAE

DE DVABVS
naturis in Christo, &
COMMVNICA
TIONE IDIO
MATVM.



DE QVIBVS IVVANTE DEO DIS
SPVTABITVR IN ILLVSTRI SCHOL
la Iulia, quæ est Helmstadij,
12. Aprilis.



PRAESIDE TIMOTHEO KIRCH
nero Sacrae Theologiae Doctore & Pro
fessore, &c.

HENRICOPOLL.


Anno Salutis 1575

E 11



REVERENDIS
in Christo Patribus ac Do-
MINIS, D. GERHARDO ABBATI
IN KONNIGSLUTHERN, D. ANDREA
Abbati in Amelunxborn, D. Iohanni Abbati in Riddagshusen, D.
Casparo Abbati in Marienthal, D. Henrico Abbati in Rina-
gelheim, & D. Henrico Abbati in Clusa &c. Domi-
nis & Patronis suis perpetua observa-
tia colendis.

SALVTEM A FILIO DEI:



AS PROPOSITIONES ME-
as de duabus naturis in Christo, & Communicati-
one Idiomatum, tantum eam ob causam R: V:
Pater: inscribere volui, ut R. P. V. videant, quale
genus doctrinae Scholasticae in illustri Schola Iulia
proponatur. Non ignotum est mihi, quanta sint
hoc tempore, & quam tristes dilacerationes Eccle-
siarum & Scholarum. Sicut etiam non igno-
ro, quantam perniciem recte constitutis Scholis & Ecclesijs pestis Sacra-
mentaria inferat. Nec propterea de hac materia disputo, ut in nostris Eccle-
sijis aliquid moueam aut turbem: sed tantum repeto doctrinam huius arti-
culi, sicut a nostris Ecclesijs in publicis scriptis, & publica Confessione
tradita est. Iuuentutis enim Scholasticae mentes veris sententijs imbuendae,
& iudicia eorum recte informanda sunt, ut eò melius & citius luporum in-
ouile Domini grassantium, vocem & ululatus agnoscerent & vitare, ac praec-
clarum depositum, & magni precij thesaurum per Spiritum sanctum custo-
dire valeant. Nisi enim Scholastici de his materijs recte erudiantur &
animi eorum quasi praemuniuntur contra praestigias Sacramentariorum,

B 2

quas

quas clarissime luci opponunt, veritatem breui amittimus, & omnia plene
erunt Sacramentarijs. Id quod D. Lutherus prædixit, & nos absq; du-
bio nisi seriò vigilauerimus, experiemur. Quo enim in statu nunc res Ec-
clesiasticæ & Scholasticæ versentur, in conspectu est, nec indiget probatio-
ne vel exaggeratione. Verè pij tristi gemitu calamitates Scholarum &
Ecclesiarum deplorant, & quasi in specula prospiciunt quàm tristia tempo-
ra secutura sint, imò iam instent, nisi maiore studio diligentia & fide præ-
clarum depositum custodire voluerimus, quàm huc vsq; (proh dolor) à mul-
tis factum est. Sed oro Filium Dei Emanuelem nostrum, vt sibi inter nos
sanctum semen seruet, & procul ab hac Schola, & Ecclesijs harum regio-
num pestem Sacramentariam arceat. Vestras autem R. P. Deo Opt:
Max toto pectore commendo, & vt hanc dedicationem, quæ simplici animo
facta est, æqui boniq; consulatis, rogo. Optârim etiam ex animo V. R. P. huic
collationi, si fieri posset, interesse, eamq; præsentia sua exornare. Benè
in Domino valete. Helmstadij, in illustri Schola Iulia. 16. Martij.
Anno Salutis 1575.

V. R. P. & D.

Reuerenter colens

TIMOTHEVS KIRCHER
NERVS D.

Propositiones
DE DVABVS NATV-
TVRIS IN CHRISTO,

ET DE COMMVNICATIONE IDI-

omatum, quæ disputabuntur Die 12.

Aprilis, 1575.

I.



Reclarè Athanasius in symbolo suo dixit, necessariam esse ad salutem rectam fidem de diuina & humana natura Iesu Christi. Reuera enim extra veram agnitionem personæ & beneficiorum Christi, nulla firma animorum consolatio, nulla salus obtineri, nec vlla vera Dei inuocatio exerceri potest, Iohan. 17. Actorum 4. 10. 15.

II.

Summa igitur sapientia in mundo est, firma fide agnoscere, quod Iesus Christus sit secunda persona diuinitatis, ab æterno à patre genita, & imago patris coætterna, quæ persona in plenitudine temporis iuxta decretum diuinæ maiestatis assum sit humanam naturam in vtero beatæ Mariæ virginis, & dedit se precium pro peccatis totius mundi, Psalm. 2. Gal. 4. 1. Timoth. 2.

III.

Hanc sapientiam Angeli in cœlis admirantur, prædicant, toto pectore celebrant, & nobis etiam hominibus hortatores sunt, vt in vniuersa vita nostra nihil prius, nihil antiquius ducamus, quam vt veram personæ & beneficiorum Christi cognitionem consequamur, Lucæ 2. Quantum igitur in hac nostra infirmitate fieri poterit, hanc arcanam sa-

A iij

prien-

pietiam, sicut in verbo patefacta est, aliquo modo considerabimus.

IIII.

Appellatur autem filius Dei & Mariæ Iesus à Iascha, quod saluare significat, Matth. 1. Vocatur etiam Christus quod Vnctum significat, & officij ac honoris nomen est, & quidem prædicatur de tota persona, non de alterutra natura, λόγος dicitur, Iohan. 1. Quia promissionem de salute & vita è caelo ad nos attulit. Filius hominis, Nazianzeno teste, dicitur, tum propter Adamum, tum propter virginem, à quibus ortus est: Illo quidem, vt authore generis, hac verò tanquam matre, secundum legem & præter legem generationis: alterum quia de muliere, alterum quia de virgine natus est. Saluator ab angelo, Lucæ 2. vocatur propter officium, quia salutem & vitam æternam omnibus credentibus affert.

v.

Est autem Filius secunda persona diuinitatis, idè ex 1. Cap. Iohan. Euangelistæ, missione eius in mundum, ac perspicuis scripturæ testimonijs, Matth. 26. Iohan. 14. 15. 16. satis euidenter constat. Quod verò sit distincta persona à patre & spiritu sancto, probant dicta scripturæ, quæ filij nomen huic personæ tribuunt, Lucæ 1. Iohan. 1. 3. 6. Psalm 2. Matth. 3. 17. Docent idem opera huius personæ. Verbi causa, incarnatio, passio, mors, resurrectio, &c.

VI.

Cum verò doctrina de æterna diuinitate Iesu Christi sine vlla dubitatione fundamentum sit Christianæ religionis, & fidei nostræ, firma & indubia testimonia huius articuli semper in conspectu habeamus, quibus pectora nostra contra omnium diabolorum & hæreticorum furores ac præstigias tutò inniti possint. Vitam enim suam ignorat, qui Christum vt verum Deum ignorat.

VII.

Sumuntur autem præcipua argumenta diuinitatis Iesu Christi

Christi ex hisce fontibus. Primum ex certis scripturæ pronun-
ciatis, vt 1. Iohan. 5. Hic est verus Deus. Secundò, ex
æterna eius, & imperuestigabili à patre generatione, Psal. 2.
Tertiò, ex creatione omnium rerum, Ioha. 1. Quartò, ex do-
ctrina de vera inuocatione Dei, Hier. 23. 33. Psalm. 45. 72.
Quintò, ex doctrina de officijs Mediatoris. Matth. 1. 1. Tim.
2. Rom. 3. Iohan. 1. 3. Sextò, ex vniuersali resuscitatione o-
mnium mortuorum & perpetua credentium glorificatione,
Iohan. 6. 11. 1. Corinth. 15.

VIII.

Nequaquam enim existimandum est, quòd Christi di-
uinitas tum primum cœperit, quando de spiritu sancto con-
ceptus est, & ex Maria virgine natus homo, sicut Ebionitæ
delirârunt.

IX.

Sicut etiam Basilidianorum opinio reprobanda est, qui
concesserunt quidem in Christo præter humanam naturam
esse aliam cœlestem naturam, sed eam esse eiusdem substan-
tiæ cum æterno patre id verò disertè negârunt.

X.

Assumfit aut hæc secunda diuinitatis persona in plenu-
dine temporis humanam naturam integram eiusdem gene-
ris, eiusdem speciei & eiusdem substantiæ cum nostra exce-
pto peccato. Ita vt secundum assumptam naturam sit nobis
fratribus suis consubstantialis. Hebræ: 2. Galat: 4. Luc: 1.
2. Iohan: 1. Toto enim pectore reijcimus & detestamur Flacij
blasphemiam, qui scribit & docet, Christum assumpsisse car-
nem alterius speciei.

XI.

Statuimus igitur errare Patripassianos, qui contenderunt,
in diuinitate tantum vnã esse personam, ipsum videlicet
Patrem, qui fuerit incarnatus & crucifixus. Non enim trini-
tatem, sed vnum ex trinitate genuit Maria, vt Maxentij ver-
bis ex Proclo vtamur.

Decebat

XII.

Decebat autem eum per quem sunt omnia, authorem fieri salutis. Hebræ. 2. Ut videlicet idem reficeret humanam naturam qui illam in principio fecit.

XIII.

Estq; memorabilis sententia Ignatij in Epistola ad Philippenses. Sermo, inquit, caro factus est, incorporeus in corpore, immortalis in corpore mortali, vita in perditione, ut nos à morte & perditione liberaret.

XIIII.

Et Irenæus etiam lib: 3. cap: II. præclare scripsit, Filium Dei factum esse filium hominis, ut & homo fieret Filius Dei.

XV.

Etsi autem in hac cæcitate mentis nostræ, quæ per peccatum horribiliter deprauata est, huius arcani mysterij causas, cur secunda persona diuinitatis humanam naturam assumerit, inuestigare, & exactè scire non possumus, tenenda tamen est hæc sententia, quæ in sacris literis firma & perspicua habet testimonia. Videlicet, quòd homo reuera saluari non potuisset, si vel susceptor hominis naturaliter verus Deus non fuisset, vel si in susceptione humanæ naturæ aliquid hominis defuisset.

XVI.

Hoc enim Deus in nobis saluauit, quod pro nobis accepit. Et illam naturam Filius Dei participem fecit salutis, quam sibi in vnitæte personæ coniunxit. Diuinitas enim totam naturam hominis renouandam suscepit, ut susceptam posset renouare.

XVII.

Et quoniam per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem & hominem peccantem (ut Fulgentius loquitur) talis utiq; Mediatoris debuit interuenire persona, quæ ad propiciandum Deum homini, totum verumq; in se Deum de Deo natum haberet. Et ad reconciliandum

hominem Deo, totum verumq; in se de homine natum f.

hominem contineret, atque ita ex utroque in utroque nunc Christus esset.

XVIII.

Licet verò caro nostra, quam Filius Dei in utero virginis in unitatem personæ assumpsit, multis modis sit infirma, & minimè digna, quam tanta maiestas assumeret: tamen ex verbo Dei scimus, & indubitanter credimus, quòd sic placuerit aeterno Patri, ut Filius secunda diuinitatis persona carnem nostram indueret, ut carne carnem liberans, ne perderet quos condidit, contra Manichæos.

XIX.

Firmiter etiam credimus, quòd Filius Dei totam seu integram naturam humanam constantem corpore & anima assumere voluerit, contra Apollinaristas.

XX.

Sicut etiam constanter asseueramus, assumptam naturam humanam in Christo in hac vita, tempore exinanitionis verè subiectam fuisse infirmitatibus, quibus ut pœnis nostra natura propter peccatum onerata est. Iohan: 1. Rom: 8. Iesa: 53. contra Manichæos.

XXI.

Propositio, Verbum caro factum est, non intelligenda est de conuersione naturarum, siue diuinæ in humanam, vel humanæ in diuinam. Sed de assumptione humanæ naturæ in unitatem personæ. Nam Græca vox $\psi\epsilon\delta\omicron\varsigma$, qua Iohannes utitur, vsitatè significat natum esse. Roman. 1. $\tau\omicron\ \psi\iota\omicron\varsigma\ \mu\epsilon\lambda\iota\varsigma\ \epsilon\kappa\ \omega\epsilon\gamma\mu\alpha\tau\omicron\ \delta\alpha\upsilon\iota\delta\omicron$. Qui genitus est ex semine David, &c.

XXII.

Diuinam enim naturam esse immutabilem ex Psal. 102. constat, vbi expressè dicitur: Tu autem permanes, & idem ipse es.

XXIII.

Naturam etiam humanam, quam $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ assumpsit, non conuersam esse in diuinam, patet ex 24. cap: Luca, in quo
B ipse

ipse Filius Dei dicit, Spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere.

XXIII.

Natiua ergò huius dicti sententia est, quam Apostolus Galat: 4. recitat, inquit: Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum *υψιόμωρον*, natum ex muliere. Et Hebr: 2. Quia ergò pueri communicant carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. Et ibidem: Non angelos assumpsit, sed semen Abrahamæ assumpsit.

XXV.

Retinemus enim in Ecclesijs & Scholis nostris de hoc summo religionis nostræ articulo, verba & sententiam Synodi Chalcedonensis, & concorditer docemus omnes, Iesum Christum Dominum nostrum esse perfectum in diuinitate, & perfectum esse in humanitate, verum Deum & verum hominem, eundem ex anima rationali & corpore, coessentialem patri secundum diuinitatem, & coessentialem nobis secundum humanitatem per omnia nobis similem dempto peccato &c.

XXVI.

Retinemus similiter & eam partem Symboli Chalcedonensis, quæ de proprietatibus vtriusque naturæ loquitur, & testificatur, eas inconfusas esse & manere. Verba sunt: Postremis verò diebus propter nos, & propter nostram salutem ex Maria virgine & Deipara secundum humanitatem vnum & eundem Iesum Christum Filium Dei Dominum & vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, indiuisè & inseparabiliter manifestatum, haudquaquam differentia naturarum propter vnitatem sublata, sed magis vtriusque naturæ in vnam personam, & vnam hypostasim concurrentis, proprietate seruata, non vt in duas personas bipartitur aut diuidatur, sed vt fit vnus & idem Filius vnigenitus Deus verbum & Dominus Iesus Christus &c.

Reijcimus

XXVII.

Reijcimus ergò Nestorij blasphemias, qui docuit in Christo esse duas personas, & λόγῳ habitare in Christo effectiue & separabiliter sicut in alijs sanctis. Sola enim auctoritate, dignitate & potentia coniunctionem factam, non coitione naturarum in vnam personam.

XXVIII.

Improbamus & hanc eius blasphemiam, quod ausus fuit dicere Christum Deiferum hominē, non Deum secundum veritatem. Item quòd negauit Mariam esse Deiparam, & quod contendit carnem Christi vnitam verbo non esse viuificatricem.

XXIX.

Synodus enim Ephesina rectè & verè contra Nestorium statuit, Christum non tantum esse θεόληπτον, aut θεοφόρον, sed θεάνθρωπον, hoc est, Deum & hominem, nec diuinam naturam tantum efficacem esse cum humana, aut per eandem tanquam per organon operari, sicut in sanctis, in quibus habitat: Sed duas naturas diuinam & humanam inseparabiliter vnione hypostatica vnitas esse.

XXX.

Mariam etiam rectè vocari Deiparam, non quòd verbi natura aut ipsius diuinitas ex sancta virgine sortita sit principium, sed quoniam ex illa natum est, sanctum illud corpus, rationaliter animatum, cui etiam secundum substantiam adunatum est verbum &c. Cyrillus epistola 8. ad Nestorium.

XXXI.

Carnem quoq; Christi coniunctam verbo viuificatricem esse. Ideò enim Cyrillus in Iohan: lib: 4. cap: 14. scribit: Quoniam saluatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est &c.

XXXII.

Porrò Eutylianorum blasphemos furores, qui docue-

B 2

runt

sunt in persona Christi tantum unam esse naturam: Post assumptionem enim humanitatem a diuinitate assumente absorptam esse. Item humanitatem Christi esse cœlestis substantiæ neque consubstantialem nobis & nostræ naturæ. Item carnem Christi de cœlis venisse: Item unam tantum esse in Christo voluntatem & affectionem. Item diuinitatem esse passam, &c. merito damnatos esse censemus.

XXXIII.

Perspicue enim in verbo Dei docetur, quod in Christo sint & maneat duæ distinctæ naturæ etiam post assumptionem & glorificationem. Luc: 24. Et carnem Christi esse nobis seu nostræ carni reuera consubstantialem. Luc: 1. 2. Ioh. 1. ac nequaquam è cœlo allatam. Esse quoque in Christo ut duas naturas, ita & duas voluntates & operationes. Matth: 26. Non quod ego volo &c. Nec passam esse diuinitatem, quæ impassibilis est, sed Christum passum esse carne. 1. Petr: 4.

XXXIII.

In vnione verò duarum naturarum in Christo diligenter considerandum est, quod hæc vnio non est physica seu naturalis, sed personalis. Est enim & manet in Christo integra utraq; natura, diuina scilicet & humana.

XXXV.

Nec existimandum est, quod duæ naturæ in Christo duas etiam constituent personas. Quanquam enim in Christo sunt duæ distinctæ naturæ, diuina & humana: tamen vnio earum vnum tantum constituit ἰεσοῦς μωϋσῆς seu vnā personam. Iohan: 1. Vidimus gloriam eius tanquam vnigeniti à patre. Iohan: 3. Roman: 8. Matth: 3. 1. Timoth: 2. Vnus est mediator &c.

XXXVI.

Inseparabilis etiam est hæc vnio duarum naturarum in Christo. λόγος enim naturam, quam semel assumpsit, nunquam deponit.

Estque

XXXVII.

Estq; vocabulum personæ accurata diligentia obseruan-
dum. Nam hoc vocabulo non rectè intellecto, facile in ma-
ximas absurditates & blasphemias mentes humanæ dela-
buntur.

XXXVIII.

Vsitata definitio est, Persona est substantia indiuidua, in-
telligens, incommunicabilis, non sustentata in alio.

XXXIX.

Discernendum verò est inter personam verbi extra incar-
nationem & personam Christi post factam incarnationem.

XLI.

Quando enim de Filio Dei loquimur extra & ante in-
carnationem, & eum personam nominamus, ibi vocabulum
personæ tantum de diuina natura cum differentia hypostati-
ca accipitur.

XLII.

Cum verò de Christo post incarnationem verba facimus,
vocabulum personæ non tantum de diuina natura cum dif-
ferentia hypostatica, verum etiam de assumpta natura intel-
ligitur.

XLIII.

Natura enim humana per se non constituit personam,
sed à Filio Dei, qui ab æterno fuit secunda diuinitatis perso-
na, in vnitatem personæ assumpta est.

XLIII.

Natura etiam humana non assumpsit diuinam, sed econ-
tra Filius Dei assumpsit humanam naturam in vnitatem per-
sonæ. Galat: 4. Filius Dei genitus est ex muliere. Roman: 1.
Phil: 2. Iohan: 1.

XLIII.

Sine igitur Deus nominetur Christus, siue homo, semper
intelligitur vnus ille Christus, subsistens iam in diuina & hu-
mana natura. Vnde etiam Deus dicitur homo, & homo Deus.

XLV.

Et propter hanc arctissimam vnionem ea quæ vnus naturæ propria sunt, rectè tribuuntur personæ in concreto.

XLVI.

Etsi autem hæc personalis vnio duarum diuersissimarum naturarum in Christo in hac vita est & manet ineffabilis: tamen quantum nobis diuina maiestas de hoc mysterio patefecit, inquirere & discere nos oportet.

XLVII.

Vnitate & coniunctione vnum est Deus verbum & caro, non confusione aut interitu substantiarum (vt inquit Chrysostomus Iohan: 1.) sed arcana quadam & inexplicabili vnitate. Quomodo autem hoc sit, noli disquirere, factum est, vt ipse nouit.

XLVIII.

Vocabulum autem naturæ in hoc articulo non significat proprietates humanitatis accidentarias, sed essentiam seu substantiam ipsam hominis. Quemadmodum enim diuina natura significat hoc loco diuinitatem filij ab æterno existentem & omnium rerum conditricem: Ita humana natura significat substantiam animæ rationalis & corpus à Deo conditum.

XLIX.

Proprietatis etiam vocabulum in hac doctrina accipiendum est non pro inhærentibus accidentarijs, sed pro ipsa essentia seu substantia, seu pro ipsis substantialibus proprietatibus.

L.

Quædam autem propria sunt singularum naturarum: Quædam verò personæ.

LI.

Propria diuinæ naturæ in Christo sunt, Esse æternum, omnipotentem, infinitum, incircumscriptum, vbiq; esse, &c.

Propria

LII.

Propria verò humanæ naturæ sunt, cœpisse in plenitudine temporis, esse corporeum, circumscriptum, non ubiq; esse, nasci, pati, mori, &c.

LIII.

Propria personæ sunt, quæ Christo adscribuntur, quatenus nomen Christus, non naturam sed personam significat. Ut verbi causa, quod dicitur Emanuel, redemptor, rex, sacerdos, iustificator, saluator, Mediator &c.

LIIII.

Quoniam verò mysterium incarnationis à pia vetustate similitudine de animæ & corporis coniunctione aliquo modo declaratum est, expendendum est, quousq; hæc similitudo congruat.

LV.

Primò in vnitæte personæ anima vnitur corpori, vt homo sit. Secundò, Anima vnitur corpori, & vitam ei communicat, corpus nihil dat animæ, nec eam vel maiorem vel minorem efficit. Tertiò anima & corpus personaliter vnita, hominem constituunt, & anima hoc præstat corpori, vt viuat, agat, & operetur. Quartò, etsi nec vita, nec actiones à corpore proueniunt, sed ab anima corpori communicantur: tamen corpus non est propterea vitæ & actionum expers, sed & vitam & actiones ab anima participat &c.

LVI.

Hæc quatuor capita licet etiam in personali vnione duarum naturarum in Christo obseruare, nisi quod in eo discrimen conspicitur, quod diuina Christi natura, quæ animæ comparatur in hoc articulo, per se est, & ab aternó fuit persona, etiam priusquam assumeret naturam humanam. Postquam verò facta est miranda illa copulatio duarum naturarum in Christo, nunquam dissoluitur. Quorum nullum de anima hominis dici potest. Etsi enim anima est spiritualis substantia, tamen non est persona. Deinde ab ipso corpore,
cui

cui personaliter vnita est, tandem discedit, cum homo moritur. In reliquis autem quatuor partibus de quibus dictum est, fermè omnia congruunt.

L VII.

Primum enim diuinitas non ita vnitur humanæ naturæ, vt fiat conuersio diuinitatis in humanitatē. Sed sic vt tota diuinitas Christi totam humanam naturam assumat vnà cum omnibus potentijs corporis & animæ, & copulet sibi hanc massam in vnitatem personæ inseparabiliter, hac ratione, vt quemadmodum ignis penetrat ferrum, & lucet in eo: Ita λόγος luceat in tota humana natura, quam assumpsit.

L VIII.

Secundò. Deus assumpsit hominem seu humanam naturam, & non homo Deum. Diuinæ etiam naturæ assumentis massam naturæ humanæ nihil vel accessit, vel decessit. Assumpta enim natura diuinam, à qua assumpta est, nec maiorem, nec minorem efficit, cum diuinitas sit immutabilis. Sed λόγος, qui est secunda diuinitatis persona ab æterno, assumpsit seruilem, miseram & perditam massam naturæ humanæ, eamq; iunxit sibi indissolubili fœdere in vnitatem personæ, & participem fecit suæ maiestatis & gloriæ, quam ab æterno, antequam fundamenta mundi iacerentur, habuit. Humana enim natura accipit à diuinitate assumente, collocatur enim ad dexteram Dei, & datur ei omnis potestas in cœlo & in terra, & non econtra. Vnde Augu: Tom: 6. contra Felicianum cap: 10. scribit, glorificatam esse carnem maiestate, dum maiestas humiliata docetur in carne. Et cap: 11. Iniuria sui corporis affectam non fateor deitatem, sicut maiestate deitatis glorificatam nouimus carnem &c.

L IX.

Tertiò, Quia Filius Dei humanam naturam in vnitatem personæ assumpsit, ita vt Deus & homo non sint duo filij, sed vnus filius, vnus Christus. Ideò assumptam naturam ita disposuit, vt esset proprium, perpetuum, & inseparabile organon

non, quo diuina natura Verbi ad operationes suas vteretur,
(licet eas per se etiam sine adiumento humane naturæ, quam
in vnitatem personæ assumpsit, perficere queat.) Et vicissim
actiones humane naturæ in Christo, participant virtutem
actionum diuinæ naturæ. Id quod in coniunctione animæ
& corporis etiam videre est. Nequaquam enim extra assum-
ptam naturam, nunc post semel factā vñionem aliquid ope-
ratur (quod quidem posset si vellet) Sed ideo in vnitatem
personæ humanam naturam sibi coniunxit, vt in illa, cum il-
la, & per illam operationes suas perficiat. Ratione enim hu-
ius vñionis fit, quod duæ illæ naturæ in Christo non agunt
separatim, sed sicut Concilium Chalcedonense loquitur, vna
natura agit cum communicatione alterius, quod cuiusq;
proprium est.

L X.

Quartò. Etsi autem naturæ, quæ inseparabiliter vnitæ
sunt, earumq; essentielles proprietates manent, nec mutan-
tur, & qualibet harum naturarum iuxta suas quas habet
proprietates agit: neutra tamen harum sola per se operatur,
sed vt dictum est, vna agit cum communicatione alterius &c.
Diuina enim natura non operatur miracula sine assumpta
natura & extra eam, sed in ea, cum ea, & per eam. Et humana
implet legem, patitur, moritur, fit $\lambda\upsilon\tau\omicron\sigma\upsilon$ pro peccatis mun-
di, sed non sola, vel separata à Filio Dei, qui eam in vnitatem
personæ assumpsit. Sustentatur enim & confortatur in passi-
one & morte, vt vincat omnes passiones, & deniq; ipsam
mortem, ac ita restituatur iusticia & vita sempiterna.

L X I.

Ex ijs ergò, quæ hucusq; exposita sunt, oritur sublimis &
ardua illa doctrina de Communicatione Idiomatum. Per-
petua enim & indissolubilis vñio duarum naturarum in Chri-
sto, fons est Communicationis Idiomatum.

L X II.

Estq; Communicatio Idiomatum talis prædicatio, in
C qua

qua proprietas vni naturæ conueniens tribuitur personæ in concreto.

LXIII.

Ratio huius prædicationis hæc est, quod videlicet hæc duplex naturæ in Christo diuina & humana constituunt vnum ἕνθεσάμειον.

LXIII.

Etsi autem hæc definitio à quibusdam peruertitur, & sub eius prætextu Sacramentaria hæresis defenditur: tamen in Ecclesia retinenda, & dextrè explicanda est.

LXV.

Disputatur acerrimè à Sacramentarijs, præsertim verò à Beza, vnicam tantum esse κοινωνίαν ἰδιωματίων, de qua videlicet in prædicta definitione differitur.

LXVI.

Negat enim Beza, propositiones, quæ de officio Mediatoris, & de donatione maiestatis loquuntur ad hanc appellationem rectè congruere.

LXVII.

Nostri autem ea, quæ de persona Christi incarnati ratione vnionis prædicantur, dicunt esse non vnus generis, sed in triplici differentia, idque docendi gratia faciunt, non vt res arduas confundant, sed vt lectori & auditori viam aliquam ad dijudicationem maximarum rerum sternant, nec de vocabulis & appellationibus contendunt, sed de rebus ipsis, quas docendi causa, hoc modo discernere volunt.

LXVIII.

Primum enim genus propositionum comprehendunt sub vsitata definitione. Et huc pertinere dicunt particulas distinctiuas, & discrimen inter nomina concreta & abstracta.

LXIX.

Secundo generi includunt appellationes seu descriptiones officij Christi. Et ad hoc genus referunt illud, videlicet vtranque naturam in Christo agere cum communicatione alterius, quod cuiusque proprium est.

Ad

LXX.

Ad tertium genus referunt eas propositiones, quæ docent, quid humanæ naturæ in Christo præter & supra naturales proprietates ex hypostatica cum verbo vnione, & ex glorificatione siue exaltatione donatum sit.

LXXI.

Nec tamen fingitur à nostris exæquatio naturarum vel proprietatum & operationum vtriusq; naturæ, diuinæ scilicet & humanæ.

LXXII.

Et hoc genus nostri discernunt à prioribus. Nam in primo genere naturæ considerantur iuxta suas essentielles proprietates, quas etiam in vnione & post vnionem retinent. In secundo genere considerantur operationes, quomodo videlicet, quoad officium Christi vtraq; natura agat, cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est. In tertio autem genere consideratur, quid humanæ naturæ in Christo ratione personalis vnionis, ultra & præter naturales proprietates accesserit siue donatum sit, seu vt patres loquuntur, communicatum sit, non verbaliter, sed reuera, quia vnio non est verbalis.

LXXIII.

Cum autem de tertio genere hoc tempore in Ecclesia disceptetur, paulò accuratius hæc doctrina discutienda & expendenda est.

LXXIII.

Non queritur, vtrum in Christo incarnato sint, & manent duæ naturæ, quod ad essentiam & essentielles proprietates, vel vtrum duæ illæ naturæ seorsim subsistant, ita vt totidem sint personæ quot naturæ, vel vtrum naturæ sint vnitæ per confusionem & conuersionem: vel vtrum essentialia Idiomata vnius naturæ tribuantur alteri naturæ in abstracto considerata &c.

LXXV.

Sed status controuersie inter nos & Sacramentarios est,

C 2

Vtrum

Vtrum ea, quæ de donis habitualibus dicuntur & vrgentur à Sacramentarijs, Vtrum, inquam, ea excellentiam & magnitudinem eorum, quæ sacra scriptura tradit, & ex scripturæ testimonijs S. patres affirmant, assequantur, vel potius, vtrum illa, de quibus controuertitur, sint attributa ipsius diuinitatis propria, & quod Christus illa acceperit non secundum diuinam naturam, iuxta quam omnia ab æterno habuit, sed iuxta humanam naturam, quam in plenitudine temporis in vnitatem personæ assumpsit.

LXXVI.

Ibi verò Beza & alij Sacramentarij acerrimè contendunt, Christum secundum humanam naturam, tantùm habitualia hyperphysica dona, quæ omnium sanctorum angelorum & beatorum hominum dona quantumuis excellentia superent, accepisse. Negant autem disertè, quòd acceperit attributa diuinitatis. Horum enim aiunt naturam humanam non esse capace[m] &c.

LXXVII.

Nostre verò Ecclesiæ ex verbo Dei docent, quòd ea quæ de habitualibus donis formaliter inherantibus naturæ humanæ dicuntur, nullo modo respondeant magnitudini earum rerum, de quibus scriptura in hoc articulo concionatur, & sancti patres ex scriptura locuti sunt.

LXXVIII.

Disertè fatemur, naturam humanam in Christo dona habitualia insignia & præminentia, quæ omnium creaturarum dona non numero solum, verum etiam gradibus superant, & quæ ei formaliter inhærent, accepisse.

LXXIX.

Insuper verò ex verbo Dei perspicuè contra omnes inferiorum portas docemus, & iuuante Deo, deinceps etiam docebimus, quòd assumptæ naturæ in Christo data sit, & quòd etiam reuera acceperit omnem potestatem in cælo & in terra, Matth. 28. Item quòd corpus Christi propter coniunctionem
onem

onem cum verbo, totam viuificandi vim hauserit, sicut Iohann: 5. dicitur: Dedit filio habere vitam in semetipso. Seu vt Cyrillus loquitur, quòd caro per coniunctionem ad virtutem spiritus viuificantis conscenderit. Item, quod sanguis Filij Dei emundet conscientiam à peccatis, 1. Iohan: 1. Ebr: 7. Item quod Christus acceperit potestatem iudicandi, quia filius hominis est. Item quòd Christus secundum humanam naturam exaltatus fuerit ad dexteram virtutis & maiestatis Dei in excelsis, ita vt omnia possit, quæcunq; vult, & in verbo suo promisit &c.

LXXX.

Hæc autem non posse intelligi de donis habitualibus omnes fani vident. Omnis enim potestas non est creata seu finita aliqua qualitas, sed attributum diuinitatis proprium.

LXXXI.

Sic & vita, quæ alios viuificat, non est creatum & habituale donum, sed est attributum diuinitatis proprium. Idem & de reliquis sentiendum est.

LXXXII.

De modo verò communicationis seu donationis horum attributorum absq; confusione & exæquatione naturarum & essentialium proprietatum cuiusq; naturæ, etsi in hac caligine mentis humanæ, hæc mysteria penitus perspicere, & quasi intus euolutas contemplari non possumus: tamen perspicuè nostram confessionem exponimus, & corde ac ore profiteamur, modum communicationis commodissimè explicari recepta illa & approbata similitudine de ferro ignito, quæ apud Origenem, Basilium, Cyrillum & alios antiquos Ecclesiasticos scriptores reperitur.

LXXXIII.

Sicut, inquit Origenes, massam aliquam ferri semper in igne positam, & omnibus suis poris ignem recipientem totam ignem effectam dicimus, quoniam nec aliud in ea nisi ignis cernitur &c. Hoc ergò modo etiam illa anima, quæ
quasi

C 3

quasi ferrum in igne, sic semper in verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est &c.

LXXXIII.

Deinde sicut ferrum ignitum non vrit propria aliqua essentiali virtute, vel ab igne transfusa qualitate, sed ipsa substantiali virtute ignis, quæ ferro communicata est, & in ea propter vnionem ignis cum ferro tota lucet: Ita quoniam tota plenitudo diuinitatis in Christo habitat corporaliter, ideò per dispensationem vnionis attributa diuinitatis humanæ naturæ in Christo, non per transfusionem, vel deriuatis inde tantum creatis quibusdam qualitatibus siue donis donata sunt: sed ita, vt in illa sic luceant, sicut ignis in ferro, & vt per illam perficiant suas diuinas operationes.

LXXXV.

Hæc cum à nobis iuxta verbum Dei & testimonia piæ antiquitatis afferuntur, mox Sacramentarij obijciunt, fingere nos Physicam communicationem essentialium proprietatum, Vnde necessario naturarum conuersio vel confusio sequatur.

LXXXVI.

Nos verò physicam seu naturalem communicationem essentialium proprietatum, qua alterutra natura per se & in se considerata subiectum proprietatum alterius naturæ constituitur, expressè reijcimus.

LXXXVII.

Non enim docemus attributa diuinitatis sic communicari seu donari assumptæ naturæ, vt in ea formaliter tanquam in subiecto hæreant, sicut creata dona hæreere solent & possunt. Sed dicimus comunicari quasi per $\pi\delta\iota\chi\acute{\omega}\rho\eta\sigma\iota\mu$ Quemadmodum anima permeat, penetrat & complectitur corpus sine confusione essentialium proprietatum, & sicut ignis vndiq; penetrat & permeat massam ferri, semper in igne positam, & in ea lucet, & vrit.

LXXXVIII.

Nam quoniam omnipotentia Dei non est accidens, ideo etiam vt accidens in subiecto esse non potest. Etsi

L X X X I X.

Etsi autem communicatio Maieſtatis non eſt phyſica, nec etiam fit phyſico & naturali modo: tamen propterea non ſequitur, ſicut Sacramentarij dicunt, nullum alium eſſe modum communicationis.

X C.

Quando etiam dicimus maieſtatem communicatam eſſe, non itelligimus duplicem in Chriſto maieſtatem, & duplicem omnipotentiam, vnam videlicet quam ab æterno habuerit, alteram verò creatam, quam in plenitudine temporis acceperit, & quæ formaliter humanæ naturæ ſic inhæreat, vt per ſe ſit omnipotens, & omnia poſſit, quæcunq; vult, ſicut diuina natura eſſentialiter in ſe omnipotens eſt & fuit ab æterno. Scimus enim Dei beneficio ex verbo Dei vnicam tantum eſſe omnipotentiam maieſtatis diuinæ increatam & æternam, quæ nunquam ita communicatur, vt humana natura eam in ſe formaliter habeat, tanquam abſtractum ab ipſa diuinitate.

X C I.

Sed inde non ſequitur, Maieſtas & omnipotentia diuina non ſic communicantur, vt formaliter vel tanquam accidens naturæ humanæ per ſe & in ſe inhæreant. Ergò nullo modo communicantur.

X C I I.

Scriptura enim expreſſè dicit, quòd communicentur humanæ naturæ, & quidem in concreto, non in abſtracto, Matt: 28. Marc. 16. Heb. 1. Eph. 1. Phil. 2.

X C I I I.

Et Colof. 2. Cap. dicitur, quòd tota plenitudo diuinitatis inhabitet in Chriſto *σωματικῶς*

X C I I I I.

Quia enim humana natura verbo personaliter & inſeparabiliter vnita eſt: diuina natura ei ſuam maieſtatē ſic communicat, quæadmodum anima corpori ſuas proprietates, & ignis ferro

ferro suam vim lucendi & vrendi sine vlla essentialium proprietatum confusione communicare solet.

XCV.

Vt enim non sequitur, corpus humanum cum omnibus suis membris propterea in animam transmutari, quòd anima ei reuera suas proprietates communicat (nam ex communicatione proprietatum animæ corpus omnia facit & operatur, quòd ex sese nihil posset efficere.) Ita nullo modo sequitur, humanam naturam in Christo propterea transmutari in ipsam diuinitatem, quòd diuinitas ei per & propter vnionem personalem suam maiestatem attribuit, & in ea, cum ea, & per eam suas operationes perficit.

XCVI.

Imaginantur haud dubiè Sacramentarij, communicationem maiestatis perinde fieri, ac si lumen ab alio lumine accendatur, vt postea proprio igne luceat, & sic fiant duo distincta ac diuersa lumina. Sic, inquam, imaginantur humanam naturam in Christo accepisse à diuinitate peculiarem aliquam & distinctam Deitatem, Secundum quam essentialiter & formaliter in sese luceat, ac etiam absq; æterna Christi diuinitate in sese omnia sciat & possit.

XCVII.

Atqui toto cœlo, quod dicitur, errant, id quod ex similitudine de ferro ignito satis liquet. Quemadmodum enim ibi non fit confusio substantiarum, sed ignis in substantia ferri lucet & vrit: Ita humana natura in Christo non habet propriam separatam & distinctam maiestatem sibi inhaerentem & in se lucentem ac operantem. Sed æterna diuinitas Filij in ea lucet, & cum ea, in ea, & per eam potenter operatur & efficit, omnia quæ vult, & tamen salua manet differentia naturarum & essentialium proprietatum.

XCVIII.

Exæquationem etiam naturarum & essentialium proprietatum falsò nobis obijciunt, sicut ex prædictis patet.

Non

Non enim fingimus talem effusionem proprietatum diuinarum in humanitatem Christi, vt humana natura pares habeat proprietates cum diuinis, separatas & distinctas ab attributis diuinis, & formaliter seu habitualiter sibi inherentes. Ita enim duplex in Christo constitueretur diuinitas, & assumpta natura in essentialibus proprietatibus æquaretur diuinitati assumentis. Hanc imaginationem vt impiam & blasphemam palàm reijcimus.

C.

Scimus Dei beneficio fugiendam esse blasphemiam confundentem naturas, & coequantem essentielles earundem proprietates: Sed hoc prætextu, ne fiat exæquatio, velle ipsam exaltationem humanæ naturæ in Christo & communicationem maiestatis negare, sacrilegium esse statuimus.

CI.

Et si enim, quomodo illa communicatio maiestatis fiat non satis in hac caligine eloqui possumus: in vñtatis enim & receptis similitudinibus de coniunctione animæ & corporis, & de ferro ignito subsistere cogimur, nec vltius progredi possumus: tamen quia verbum Dei perspicuè affirmat, quòd data sit Christo secundum humanam naturam omnis potestas, & quòd exaltatus sit supra omne nomen, quod nominatur &c. ideò verbo Dei reuerenter nos subijcimus, & non disputamus de possibilitate vel impossibilitate, de capacitate humanæ naturæ vel incapacitate, vt ita loquamur, cum sciamus potentiam facientis maiorem esse, quam ratio humana percipere possit.

CII.

Amplectimur etiam sententiam Cyrilli, Caro Christi caro est & non deitas, licet Dei facta sit caro. Diuinum dicimus corpus Christi, quia Dei corpus est, & ineffabili gloria illustratum atq; viuificum confitemur. Quod autem in naturam deitatis sit commutatum, non dicimus.

D

Non

CIII.

Non sentimus cum Eutychnianis, qui finxerunt confusio-
nem essentialium proprietatum, nec etiam probamus
Suuenckfeldij furorem, qui audacter scribit, naturam huma-
nam in Christo ita esse Deificatam, vt sit de substantia trini-
tatis, &c.

CIIII.

Nec etiam sequitur, quod dicunt Sacramentarij, totam
ergò trinitatem incarnatam esse, si maiestas diuina, quæ tri-
bus personis communis est, assumptæ naturæ communi-
cata sit.

CV.

Vnio enim personalis non in essentia diuinitatis seu tri-
nitatis, verùm in persona diuinitatis secunda facta est, quæ
à cæteris personis hypostaticè differt, licet maiestatem cum
ijs communem possideat.

CVI.

Eadem facilitate reijcitur etiam hæc calumnia Sacra-
mentariorum, qua Ecclesijs nostris libenter Arrianismum
affingerent, quasi doceremus Christum esse creatum, non
autem verum & naturalem Deum, ac ita diuinitatem Chri-
sti aternam & immutabilem abnegaremus.

CVII.

Nam si attributa diuinitatis communicantur humana
naturæ, quomodo (inquit) poterimus Samosateno,
Ario, & nouis Antitrinitarijs resistere, qui fundamentum
suar opinionis in eo ponunt, quòd videlicet creatura possit
capere attributa diuinitatis, & proinde Deus fieri & esse.
An non (inquit) illa palam Ariana sunt constituere du-
plicem diuinitatem, aternam & in tempore communicatam
& fingere, quòd creaturæ per accidens diuinitas data sit?
Nunquid Samosatenum est, quòd Christus sit factus De-
us per gratiam & adoptionem &c.

CVIII.

Facilis

Facilis inquam & expedita est ad tetram illam calum-
niam Sacramentorum responsio, Vanam videlicet & menda-
cem eam esse. Nam ne per febrim quidem vnq̄ somniauim^p
physicam communicationem Idiomatum, de qua illi, sed fru-
stra nobiscum litigant. Eiusmodi enim physicam communi-
cationem, si concederemus vel assereremus in nostris Ecclesi-
js, tum demum aliquo prætectu possent nos infimulare Sa-
mosatenismi & Arianismi. Atqui eam diserte reijcimus, &
toto pectore explodimus.

CIX.

Ita si duplicem deitatem creatam in tempore, & increa-
tam comminisceremur, meritò nobis Arianismum impinge-
rent. Sed nos creatam diuinitatem prorsus abominamur, &
non nisi vnicam & simplicem Deitatem credimus, sicut su-
prà aliquoties dictum est.

CX.

Nemo etiam nostrum vnq̄ sensit vel docuit, Christum ef-
se factum Deum secundum diuinitatem. Cum certum sit, q̄
ab æterno fuerit Deus, & secunda diuinitatis personæ.

CXI.

Quòd verò ex eo quod dicimus Christum secundum as-
sumptam naturam exaltatum ad summam sublimitatem, &
accepisse omnem potestatem, & nomen sup omne nomen &c.
& factum esse Dominum sicut Petrus Acto:2. loquitur, inqui-
ens, Certissimè sciat ergò omnis domus Israël, quia & Do-
minum & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos cruci-
fixistis, &c. quod inquam ex eo colligere volunt: Ergò fin-
gitis Christum per accidens Deum & creatum Deum, hoc
demum horribilis & tetra calumnia, & abominandum fi-
gmentum est blasphemi spiritus.

CXII.

Nam per exaltationem & communicationem maiestatis
nequaquã intelligimus creatam maiestatem, quæ essentialiter
differat à maiestate diuina increata, & quæ naturæ humanæ

D 2

Christi

Christi inhaereat sicut accidens in subiecto : Quin hanc opinionem tanquam blasphemam serio detestamur, & ab omnibus execrandam esse censemus, ut nunc saepe dictum est. Sed tantum unicam illam diuinam Christi maiestatem alia ratione iuxta verbum Dei consideramus, videlicet non, qua in se est, sed qua ratione sese naturae humanae, quam in unitatem personae assumpsit, per dispensationem unionis personalis communicat.

CXIII.

Et ut summatim dicamus, per communicationem maiestatis aliud nihil intelligimus, quam quod Paulus Coloss: 2. scribit. In Christo inhabitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter. Vbi certe non potest intelligi, quod diuinitas habitet in diuinitate, sed de humana natura dictum accipiendum est.

CXIII.

Eam vero inhabitationem diuinitatis in assumpta natura, quam sibi personaliter copulauit, tantum de nuda diuinitatis praesentia sine communicatione accipere velle tum absurdum, tum etiam falsum est. Id quod ex coniunctione animae & corporis, & ex similitudine de ferro semper ignito satis constat, & insuper ex manifestis scripturae testimonijs, quae disertè testantur, humanae naturae datam esse omnem potestatem in caelo & in terra, abunde probatur.

CXV.

Habuit etiam humana natura suam maiestatem, gloriam & potentiam ex ipsa unione hypostatica, idcirco propterea quia tota plenitudo diuinitatis corporaliter in Christo habitat. Nec verum est, quod Sacramentarij dicunt, glorificationem & exaltationem humanae naturae factam demum post resurrectionem à mortuis. Facta enim unione personali, facta etiam est communio maiestatis, sicut in coniunctione animae & corporis aliquo modo videre est.

CXVI.

Etsi .n. scriptura dicit, Christum post resurrectionem exaltatum, id tamen non habet hanc sententiam, quasi humana natura

natura.

natura antea suam maiestatem vel non habuisset, vel quasi postea ab extra & aliunde eam acceperit, sed scriptura ita loquitur propter tempus exinanitionis.

CXVII.

Exinanitio autem Philip: 2. haud significat defectum vel carentiam maiestatis, sed quod plenitudo diuinitatis, quæ in Christo corporaliter habitabat, suam maiestatem, gloriam, & potentiam in assumpta natura & per eam tunc non ita manifestè exeruerit, Sed humiliationis tempore quasi tegere & occultare voluerit, vt humana natura pati & mori posset.

CXVIII.

Nam quod maiestatem etiam in statu exinanitionis habuerit, vel inde liquet, quòd aliquoties eam manifestè ostendit, sicut scriptum est Iohan: 2. Manifestam fecit gloriam suam cum verteret aquam in generosum vinum. Item Lu: 2. in disputatione cum scribis & Phariseis in templo, cum vix duodecimum ætatis annum attigisset. Et Matth: 17. in transfiguratione sua &c.

CXIX.

Sic exaltatio non de diuina natura accipienda est. Ea enim nec exaltari nec humiliari potest. Sed intelligenda est de depositione infirmitatum humanæ naturæ, quas volens propter nos assumerat, & quod nunc depositis seu abiectis omnibus infirmitatibus maiestas diuina suam potentiam, gloriam & operationem in assumpta natura, plenè, potenter & gloriosè ostendat, & in ea, cum ea, ac per eam maiestatis suæ operationes, in gubernatione & collectione Ecclesiæ perficiat.

CXX.

Et sic orthodoxa antiquitas de hoc mysterio loquitur. Nyssenus enim contra Eunomium scripsit: Euexit vnitum hominem per vnionem ad propriam celsitudinem. Et Cyrillus: Potentiam operandi diuinè accepit per vnionem. Et Leo: Forma serui in gloriam diuinæ potestatis euecta est in tantam vnitatem ab ipso conceptu virginis, deitate & hu-

D 3

mani-

manitate connexa, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo
agerentur humana, &c.

F. Christi

CXXI.

De generali corporis in omnibus creaturis vbiuitate, de qua aduersarij plenis buccis vociferantur, lucidè non obscure dicimus, quòd procul à veritate recedant illi, qui sentiunt, factum esse conuersionem humanitatis in diuinitatem, ita vt humana Christi natura per hanc suam infinitam maiestatem, in quam mutata sit, eodem modo sit vbiq; , quo ipsa diuinitas, vel quod nunc diffusa sit, & coextensa per cœlum & terram, & hoc modo etiam ipsam diuinitatem quasi cancellis quibusdam includat.

CXXII.

Hæc enim opinio est manifestè falsa, & Eutychnianismum resuscitat, ac à D. Luthero in confessione sua contra Sacramentarios difertè reiecta est.

CXXIII.

Hinc autem concludere velle, quod humana natura in Christo, quia non eo, hoc est, Eutychniano modo omnia implet in cœlo & in terra, Ergò prorsus nullo modo possit esse vbiuncq; vult, & vbi se futurum esse Filius hominis infallibili verbo recepit, non solum furor, verum etiam grandis blasphemia est.

CXXIII.

Accepit enim humana natura in Christo omnem potestatem in cœlo & in terra, & sedit ad dexteram maiestatis in excelsis. Matth: 28. Hebræ: 1.

CXXV.

Quod ergò ad generalem illam vbiuitatem corporis Christi in omnibus creaturis attinet, consilium D. Lutheri sequimur, qui suadet abstinendum esse, quantum fieri possit à scrupulosa eius inquisitione, ne interminabilibus quæstionibus nos implicemus, & Sacramentarijs interim occasionem demus euagandi ad alias disputationes, relicto statu
controuersia

controuersia de praesentia corporis & sanguinis Christi in
Cœna Domini, praesertim cum scriptura dicat, exaltatio-
nem humanæ naturæ in Christo esse super omne nomen, quod
nominatur &c. Sufficere enim nobis, quod ex verbo Dei sci-
mus, quod Christus etiam secundum humanam naturam
possit esse, ubicunq; vult, quia penetrauit cœlos, excelsior
cœlis factus est, & accepit omnem potestatem. Ex quibus
manifestè sequitur, quod omnia possit, quæcunq; vult, in
cœlo & in terra.

CXXVI.

Nam vt cum Sacramentarijs sentiamus, qui acerrimè
dimicant, quod Christus cum omni sua potentia, etiam si ve-
lit, tamen non possit cum corpore suo, seu humana sua na-
tura, quam sibi in vnitatem personæ inseparabiliter copula-
uit, esse ubicunq; vult, vbi se futurum esse in verbo suo pro-
misit, hoc sua grandiloquentia nunquam nobis persuade-
bunt.

CXXVII.

Cœlum enim & terra peribunt: Verbum autem Domini
(Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra) in æter-
num manebit.

CXXVIII.

Inferunt autem Christum non velle nisi ea, quæ conue-
niunt assumptæ naturæ. Fieri ergo non posse, vt humana
natura, quam assumpsit, simul & semel sit in multis locis.

CXXIX.

Non dubium est, quod Christus non velit destruere na-
turam, quam sibi æterno fœdere coniunxit.

CXXX.

Simul autem & hoc certum est, quod nemo melius, cer-
tius & exactius nouerit, quid conueniat humanæ naturæ, &
quid eam vel conseruet vel destruat, quàm is, qui est omni-
scius.

D 4

Is

CXXXI.
Is autem, qui verè diligit & fouet assumptam naturam,
& in summam sublimitatem eam euexit, nec eam vult de-
struere, sed in omni æternitate conseruare, is inquam, cum
sciret se posse, absq; vlla assumptæ naturæ vel conuersione
vel destructione corpus suum exhibere in Coena Dominica,
& in Ecclesia adesse, iuxta vtrancq; naturam, ac regnum &
sacerdotium suum exercere, promissionem hanc dedit, & id
quod promisit, sanctè & veraciter seruat.

CXXXII.
Tantum potentiam & veritatem facientis attendamus,
& non amplius de possibilitate vel impossibilitate, de con-
uenientia vel inconuenientia &c. disputabimus.

CXXXIII.
Sed circumscripta & finita est humana natura. Non
potest ergò simul & semel in multis locis esse, Item, non
potest simul circumscripta & incircumscripta esse.

CXXXIII.
Fatemur vtrò humanam Christi naturam per se confi-
deratam circumscriptam esse & finitam, & quod respectu sui
ipsius simul circumscripta & incircumscripta esse non possit,
siquidem extra vnionem personalem in abstracto confide-
retur.

CXXXV.
Sed opponimus rursus mysterium vnionis personalis du-
arum naturarum in Christo, cuius in tota rerum natura nul-
lum simile exemplum extat.

CXXXVI.
Ex qua vnione irrefragabiliter sequitur, quod humanæ
naturæ Christi respectu sui simpliciter impossibile est, hoc
mediante dispensatione vnionis & maiestatis diuinæ, ad
quam exaltata est, per sessionem ad dexteram Dei, esse non
solum possibile, sed etiam facile.

Secun-

CXXXVII.

Secundò simpliciter negamus esse contradictionem, cum dicitur idem corpus esse circumscriptum, & tamen præfens esse in Cœna, modo incircumscripto.

CXXXVIII.

Vtrumq; enim sacra scriptura, quæ est infallibilis norma immotæ veritatis, tradit & docet, videlicet, quod corpus Christi sit in cœlo, & quod etiam verè & substantialiter distribuatur in Cœna, quæ administratur in terris, sed diuerso respectu.

CXXXIX.

Non enim eodem modo est in cœlo circumscriptum, & in cœna simul multis in locis, id quod videtur pugnare cum circumscriptioe & finitate eius.

CXL.

In Cœna enim, & vbicunq; Christus cum suo corpore vult esse, adest iuxta modum dexteræ Dei (modo, vt dictum est, incircumscripto) ad cuius maiestatem exaltatus est, quæ etiam maiestas hoc confert corpori eius, vt possit cum eo esse vbicunq; vult, & vbi se futurum esse promisit, idq; sine destructione eiusdem.

CXLI.

Nec verò arduum aut difficile est Christo de suo corpore, quod in vnitatem personæ assumpsit, & ad summam sublimitatem euexit, hoc quod certo verbo promisit præstare, & quidem sine implicatione contradictionis, cum omnipotens sit & verax.

CXLII.

Estq; memorabilis sententia Bucerii, quam in retractationibus suis scriptam reliquit. Nihil de eo firmum adfirmari posse, an Dominus corpore suo circumscriptus sit loco aliquo cœli, sicut Augustinus, & alij Patres scribant. Certo enim verbo Dei nostra omnia niti oportere, &c.

Retinea-


CXLIII.

Retineamus ergò firmiter ea, quæ in verbo Dei de maiestate humanæ naturæ Christi, seu exaltatione eiusdem ad dexteram virtutis Dei patefacta sunt, nec moueamur clamoribus Sacramentariorum, qui eam de gradu & dignitate, ad quam euecta est, deturbare conantur.

CXLIIII.

Et deniq; totam doctrinam de incarnatione Filij Dei & beneficijs incarnationis in exercitijs veræ pœnitentiæ & fidei ad vsum transferamus, vt inde finem fidei, hoc est, salutem animarum reportemus, per Dominum & Immanuelem nostrum IESVM Christum, qui est Deus benedictus in secula.

F I N I S.



Fragment of text from the book's spine, written in a Gothic script. The text is partially obscured and difficult to read, but appears to be a title or a list of contents.



ULB Halle 3
002 378 663



Handwritten text in a Gothic script, likely a library inventory or title, running vertically along the right edge of the page.


Handwritten text in a Gothic script, likely a library inventory or title, running horizontally along the bottom edge of the page.



ant. cecidantur se
e sacre scriptur. **102**
hoc numero conset
e bene notis. Jam
les quadraginta di
cunant. et helyas
n. et ipe dominus n.
ator n. ihc xpc. huc
ii numeru implevit.
isen significatur les.

mus in hoc seculo. **103** u
tuno quam mercedem ad
didit apostolus. Sequitur
et dicit. **104** expectans illam
beatam spem. et manifesta
tionem glie bean dei. et sal
uatoris nri ihu xpi. **105** In hoc
ergo seculo quasi quadragi
simam abstinentie celebra
mus. cum bene vivimus.





PROPOSITIONES
THEOLOGICAE
DE DVABVS
naturis in Christo, &
COMMVNICA
TIONE IDIO
MATVM.



DE QVIBVS IUVANTE DEO DIS
SPVTABITVR IN ILLVSTRI SCHOL
la Iulia, quæ est Helmstadij,
12. Aprilis.



PRAESIDE TIMOTHEO KIRCH
nero Sacrae Theologiae Doctore & Pro
fessore, &c.

HENRICOPOLL.

Anno Salutis 1575

